

convellere voluerit presenti in evo ab utrisque privetur lumini-
bus, et bonis omnibus careat, ut in futuro cum justis non ads-
cribatur, sed in secula seculorum baratri antra dimersus penas
eternas sustineat ruiturus, et hec scripture tibi Somna hujus loci
obtineat firmitatis roborem. Facta scriptura testamenti, sub
die, XII.^o Kalendas novembris, ERA, DCCCC.^a LXI.^a Anno
feliciter regni nostri VIII.^o commoratibus in dei nomine in cas-
tellum Najara. Anno incarnationis domini nostri iesu Xristi,
DCCCCmo. XX.^o III.^o Ordonius serenissimus princeps hunc
testamentum manu propria confirmamus. *Hay dos signaturas,*
la del centro de Ordoño II y la de la izquierda de su hijo, el
rey don Alfonso IV, y sobre él entre las dos signatura se lee:
Aldefonsus ejusdem principis proles confirmat. *Subscripcio-*
nes: Primera columna: Sub Xristi nomine Albarus dei gratia
episcopus confirmat.  Sub Xristi nomine theudericus episco-
pus conf. Sub Xristi nomine Vittiza dei gratia episcopus conf.
Abdelmondo testis. Ferdinando diez, t. Albar ferrameliz, t.
Alloitus lucidi, t. Albertus nuniz, t. *Segunda columna:* Didago nepzi t. Didago diez t. Gustius t. Gutier ermendez t. Fer-
nando diez t. Nunio Albarez t. Gutier assuriz t.

D. III

Crismón. Quia ad ultimum vite finem de die in diem per
mutationes temporum currimus, opus est ut interim quamdiu
vivimus, bona que possumus facere faciamus, ne illud evange-
licum amen dico vobis nescio vos : exclusi a nuptiis audiamus,
Eapropter Ego Adefonsus nutu dei hyspaniarum impera-
tor, una cum conjuge mea imperatrice domina Berengaria,
grato animo, nemine cogente, pro salute anime mee et
parentum meorum, dono ecclesie sancti petri de cluniaco,
et ecclesie sancte Marie de Najara, tibique Stephano ejus-
dem ecclesie Priori, tuisque successoribus, necnon et monachis
ibidem deo et sancte Marie sub regula beati Benedicti serviens-
tibus, presentibus et futuris : ecclesiam sancte columbe que est
in territorio Najarensi, cum barrio sancti Michaelis, et cum
omnibus terminis suis quos hodie habet aut antiquitus habuit,
et cum villis suis, videlicet cum bezares, cum arenzana de suso,
cum valle majore, cum populatione de collado de faya, cum
ture sicca, cum omnibus terminis earumdem villarum, cum
montibus et vallibus suis, cum aquis et rivis, pratrīs, pascuis,
molendinis, vineis, terris, ortis, et cum omnibus pertinentiis
suis : ubicumque fuerint. Ecclesiam sancte columbe quam

supra diximus, et hereditates quas habet in rogo, et hereditatem quam habet in Naiara, casas, et molendinum, et ortos, et hereditates quas habet in mahab, et in cardenes, et ecclesiam sancte Marie quam habet in bagnos de suso cum sua hereditate, et ecclesiam sancti petri de villa nova, de castello de tobia, cum sua hereditate, et casam quam habet in alasanco cum sua hereditate, et suis collacis, et hereditatem ville nove de livrelos, et turrem venal de fonte maiore, cum sua hereditate, et cum suis canalibus, et vineam quam habet in medrano, et hereditatem quam habet in sotes, et hereditatem quam habet in genestar, et decimam panis et vini illarum hereditatum quas habet Rex in legarda, et in villa mesquina, et hereditatem quam habet in salinis de yaniz, et hereditatem quam habet in seruslada, et ecclesiam sancte Marie de genestarza, cum sua hereditate que est in termino sancte columbe, et ecclesiam sancte Marie de orbites, cum sua hereditate, et si quas alias hereditates ecclesia sancte columbe tenuit et habrit, cum ipso monasterio sancte columbe, dono et concedo ecclesie sancte Marie de Naiara, tibique Stephano ejusdem ecclesie priori, et monachis ibi deo servientibus ut habeatis et possideatis jure hereditario : in perpetuum. Si quis igitur de meo genere vel alieno hoc meum factum infregerit ausu nefario, sit a deo maledictus, et in inferno cum juda proditore sine fine dampnatus, et cum datan et abyron quos vivos terra absorbuit, vivus apud inferos demergatur, et quicquid de predicta hereditate injuste prendiderit : in dupplum reddat, et pectet imperatori mille libras auri. Facta carta in Burgis, III.^o Kalendas februarii. ERA, M.^a C.^a LXX.^a V.^a Adefonso imperatore imperante in toleto. Legione. Saragoza. Naiara. castella. Galicia. Ego Adefonsus imperator supramemoratus, hanc cartam quam jussi fieri in anno secundo quod coronam imperii primitus in Legione recepi : confirmavi et manu mea roboravi, et ne amplius super predicta hereditate Abbas de sancto emiliano nomine petrus, et sui monachi, vel successores eorum, quibus predictam hereditatem nesciens quod de jure sancte Marie de Naiara fuisset dederam, aliquo tempore querimoniam ficerent : mandavi stephano priori de Najara, ut petro abbati et suis monachis centum marchas argenti quas mihi pro predicto honore dederant : reddent, quos redditum tali pacto, ne amplius ipsi vel successores eorum iam dictum honorem quem iniuste tenuerant requirent, et in testimonium hujus facti ipse abbas et monachi reddiderunt stephano priori et Nagerensi ecclesie cartam quam de ipso honore meo jussu fecerant. Sig-

natura : Signum imperatoris. *Subscripciones* : *Primera columna* : Rajmundus toletanus archiepiscopus confirmat. Petrus Legionensis episcopus conf. Petrus secobiensis episcopus conf. Bernardus saguntinus episcopus conf. Berengarius salamanthinus episcopus conf. Sancius calagurritanus episcopus conf. Symeon Burgensis episcopus conf. *Segunda columna* : Comes Rodericus gonsalvez conf. Comes Rodericus martinez conf. Comes Rodericus gomez conf. Comes ermengot de urgel conf. Comes Lop diez conf. Comes Latro conf. Semenus eneguez conf. *Tercera columna* : Gutier fernandez maiordomus conf. Rodericus fernandez conf. Almanricus alferiz conf. Garsias fortunones conf. Melendus bofin conf. Michael feliz merinus in burgis conf. Albertinus conf. Diego munioz merinus in carrione conf. *Final* : Giraldus scripsit hanc cartam jussu magistri hugonis cancellarii imperatoris.

D. IV

Crismón. IN Xristi nomine amen. Quoniam Regie clemencia dignitatis ad hoc debet sollicite semper intendere, ut omnipotenti deo in cuius manu corda regum esse noscuntur, per opera misericordie valeat sine intermissione placere. et ei studeat pia intentione servire: sine quo nec regnum potest habere terrenum, neque adquirere sempiternum. Idcirco Ego Rex Sancius dei gratia domini Adefonsi illustris imperatoris hyspanie filius, cum ejus consilio, consensu, ac voluntate, facio cartam donationis, et textum scripture firmitatis, et confirmationis, deo et beate Marie de Nagara, et beato petro apostolo cruniacensis monasterii, et tibi Reimundo ejusdem ecclesie instanti priori, et omnibus successoribus tuis, et monachis ibi deo servientibus, et beate Marie, et beato Petro apostolo de ecceccia sancte Marie de portu, quam ego ab antecessore meo Rege Garsias in scriptis suis ecclesie Najarensi fuisse traditam compperi, et postea inde sublatam regali juri meo commissam inveni. Ut ab hac die habeatis predictam ecclesiam, et possideatis, vos et successores vestri, tam presentes quam futuri, jure hereditario in perpetuum. Ita inquam do et concedo vobis eam, cum terris et montibus, rivis ac fontibus, pratis et pascuis, ingressibus et regressibus, et cum terminis et directuris eidem ecclesie pertinentibus: ubicumque fuerint, ut serviat ecclesie Najarensi, ad honorem dei et beate Marie, et beati Petri. Et hoc facio: pro remedio anime mee, et mulieris mee venerabilis Regine domne Blanche, quam in Najarensi ecclesia